

8. *Verrucaria analeptoides* Nyl.

Extus subsimilis *analeptae*, sed revera forte varietas *V. antecellens* Nyl. (in Flora 1866, p. 86) sporis (1-septatis) longit. 0,036—50 millim., crassit. 0,009—0,010 millim. Variant sporae septis (spuriis) 3—5. Paraphyses saepe laxae.

Hibernia, Killarney; legit Carroll 1866.

9. *Verrucaria desistens* Nyl.

Thallus vix ullus proprius; apothecia perithecio integre minuto (diam. 0,1 millim.), parte dimidia supra convexa prominula; sporae 8nae incolores fusiformes 3—5-septatae rectae, longit. 0,011—16 millim., crassit. 0,003—4 millim., paraphyses nullae. Jodo gelatina hymenea vinose rubens.

In Hibernia, Killarney, ad corticem Ilicis, legit Carroll (1866).

Prope *V. albissimam* locum habeat, sed recedit variis notis a stirpe *V. epidermidis*.

10. *Endococcus haplotellus* Nyl.

Apothecia nigra minuta (diam. circiter 0,1 millim.) supra convexe prominula, perithecio infra integro vel saepius ibi incolore, thecae polysporae, sporae dilute nigrescentes ellipsoideae vel oblongae simplices, longit. 0,004—7 millim., crassit. 0,0025—0,0030 millim., paraphyses nullae rite evolutae. Jodo gelatina hymenea vinose rubens et quoque thecae ita tinctae.

In Sjaellandia occidentali, Borreby, supra thallum et apothecia *Arthoniae astroidae*, legit Branth.

Facies melanothecoides ob apothecia aggregata vel nonnulla vulgo basi confluentia.

De praeparatione specierum terrigenarum lichenum pro herbario.

In collectionibus lichenum specimina, quae insident in terra v. arena v. materiis organicis fragilibus, non observantur raro, praecipue cum thallus est crustaceus et tenuis, dirupta et in pulverem fragmentulaque comminuta. Conspurcata ipsa et ad observandum parum apta conspueant incommodantque specimina adjacentia. Ratione mechanica et facile perspicua specimina illa

luculenta, crassa, inaequalia, qualia plena manu in collectionibus nonnullis recentioribus exstant, sunt, quae praecipue fracturae et ruinae exponantur, dum parca specimina tenuiore segmento substrati ornata in collectionibus nonnullis, haud raro antiquioribus, multo melius conservantur. Ad praeparandum substratum terrenum exsiccatum mucilago gummi arabici minus apta est, quippe quae substantiam non satis penetrat, immo saepius, ut constat, in guttas pulvere terreno obductas in superficie sese conglobat. Pro praeparatione fluidum quoddam tenue quaerendum est, quod celeriter et profundius substratum penetrat, intervalla aëri plena explens, deinde rigescit et particulas terrenas conglutinat. Fluidum talibus virtutibus gaudens solutio spirituosa ichtbyocollae est, qualis in pharmacopoliis in praeparando emplastro adhaesivo anglico adhibetur et unde facile obtinetur. Temperatura +25—30° C. solutio est fluidum tenuissimum, quod alcoholis instar terra siccissima avidè imbibit, sed temperatura inferiore sensim inspissatur eo modo, ut infra 15° in gelatinam solidam abeat. Itaque olla solutionem continens applicanda est ad usum praeparationis in ahenò aqua calida infuso, cujus temperatura ope lucernulae, qualis in cubiculis nocte adhibetur, servari potest. Ope penicilli substratum solutione imbutur sufficienter sed tamen ita, ut lichen ipse non humectetur, qua re nempe interdum decoloratur. Cum praeparata brevi post imbutionem ad superficiem tam sicca sunt, ut ad chartam non arctius adhaereant, complete exsiccantur sub prelo pressione modica, ubi post nonnullas dies duritiem et tenacitatem accipiunt tantam, ut impetui mechanico violentiori, cui in herbario exposita sunt, optime resistant. Sicca vulgari modo ad chartam adglutinantur.

Methodum praeparandi per aliquot annos usu probatam lichenologis enixe commendo imprimis pro speciminibus, quae longinque mittenda sunt et modo solito praeparata nimis frequenter demoliter adveniunt.

Tromsø (Norvegia) d. 26. Martii 1867.

J. M. Norman.

Ditrichum Timm. statt Leptotrichum Hpe.

In Timms Prodrömus flörae Megapolitanae 1788 ist *Ditrichum pusillum* aufgeföhrt, welches Hedwig 1792 *Didymodon pusillus*, Schrader 1796 (Cryptog. Gewächse) *Trichostomum tor-*

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1867

Band/Volume: [50](#)

Autor(en)/Author(s): Norman Johannes Musaeus

Artikel/Article: [De praeparatione specierum terrigenarum lichenum pro herbario 180-181](#)